

QK 184.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> INAUGURALIS JURIDIC<sup>O</sup>

36

DE

III. 53

Ve  
848

# P R A E C E P T O J U D I C I A L I DE NON SOLVENDO IN GENERE, ET IN SPECIE, AN ILLUD CURSUM USURARUM SISTAT?

secundum Tenorem Nov. Decis. Electoral. 27.

QVAM

RECTOR<sup>E</sup> HUJUS ACAD<sup>E</sup>MIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

## PHILIPPO WILHELMO,

SACRÆ CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum MO-GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORI<sup>E</sup> QVE ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE;

PRÆSIDE

DN. ERNESTO TENZELL, JCto,  
FACULT. JURID. P.T. DECANO, JUDICI<sup>E</sup> PROVINC. ASSESSORE AC CIVITATIS  
ERFURT. SYNDICO PRIMARIO, ETC.

DN. PATRONO AC PROMOTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO,

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA

RITE ADIPISCENDI,

D. XXII. AUG. M<sup>D</sup>CCXIII. H. L. Q. C.  
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI


SUBMITTIT

## JOHANN. GOTTFRIED ZEUNIG, OSSIT. MISNIC.


ADVOCATUS LIPSIENSIS IMMATRICULATUS.

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.





## PROLEGOMENA.



Quidem sat largus est actionum ci-  
viliū proventus, quæ diversis ex  
LL. descendunt, eoque comparatae  
sunt, ut quivis id quod suum est  
non tantum persequi, sed & conse-  
quuntur tandem possit; nihilominus quo-  
tidie ferme casus obvenire possunt,

& revera etiam obveniunt, in quibus per easdem, quæcum-  
que etiam eligatur, sibi quis sufficenter consulere haud  
potis est, quales illi sunt, qui ordinariorū judiciorū  
moras haud ferunt, sed promptam exigunt executionem,  
mī inanis evadere debeat omnis quib[us]libet etiā solenni-  
tatis adorata actio. Necesitatem hinc sibi impositam  
viderunt prudentiores Judices præter ordinaria juriſ re-  
media quedam etiam extraordinaria concedendi, que  
vulgo executiva audiunt, queis præter ambages tum, cum  
periculum in mora est, rem jure sibi debitam quis adi-  
pisci potest, de quibus justo volumine egeit haud incelebris  
nonunis *Jtius Colerus*. Utut enim ab executione pro-  
cessum ordiri non liceat, l. i. C. de excut. rei judic. l. un.  
C. de prohib. sequestr. pec. l. 9. C. de Oblig. & Act.


A. 2

nibi-

nihilominus ipsa nonnunquam necessitas exigit, ut etiam ante decisionem cause, de mediis dispiciatur, quies reus ferenda sententia efficaciam h. e. executionem cludere impediatur. Ac proinde ejusmodi remedia executiva non tam contra, quam præter Jus Civile admittuntur. Nimirum quamvis LL. Civiles hoc illudve ejusmodi medium diserte non approbaverint; satis tamen est, easdem id ipsum non improbase, imo ex earundem ratione tale probari haud obscure posse, quale quid nonnunquam Juri Civili tribuere solemus, inducit l. 6. §. 1. ff. de V. S. Atque hæc inter remedia executiva ultimum haud occupant locum vulgo sic dicta Arresta, (quamvis non erraverint qui etiam talia in tit. ff. quib. ex causis in poss. eatur, suo modo originem habere, afferant) quies securus redditur actor, ejus à Reo consequenda rei, quam jure sibi ab eodem deberi in summario desuper instituendo processu deducturus est. Verum cum hoc remedium haud parum sit odiosum, imo ut nonnulli putant, ignominiosum, inde fit, ut paucis fere Creditoribus hæc fortuna contingat, id ipsum impetrandi, cum à cauto decerni judice vix ac ne vix quidem soleat, nisi evidentissime constet, justam arrestandi causam adesse, cæteraque ad justitiam arresti necessaria requisita non deficere, Mevius de arrest. C. II. graviter omnem quæ modo possibilis præcautionem hoc in passu inculcantibus Gailio & Carpzovio, quorum hic Resp. Elect. 38. n. 2. L. IV. Non certe nimis, inquit, ad arrestum est properandum; Creditores siquidem circa petitionem arresti contra debitorem nunquam non faciliiores, quam par est, reperiuntur,

tur, sed Judicis officio incumbit, malo huic prudenter occurrere, & ante concessionem arresti singulas circumstantias probe ponderare, an causa arresti sufficiens existat, vel non, ne ex temerario ejus indultu debitor fama periclitetur. *Cum igitur invisa inquam adeo & difficultatibus obnoxia sint arresta stricte sic dicta, paulo aliud remedium, quod mitius nonnihil esset, & nihilominus parem Creditori securitatem tribueret excogitatum & introductum est, quod vulgo dicitur inhibitio in vim arresti, ein Gerichtlich Verboth / & nihil aliud est, quam præceptum judiciale de non solvendo vel dimittendo, qua de re impræsentiarum, DEO clementer annuente, nonnihil Disputationis Inauguralis loco differere animus est.*

## TH. I.



Um nullum vocabulorum ex quibus titulus hujuscे Dissertationis constat, ulla laboret difficultate, ambiguitate vel obscuritate, onomatologiæ nunc merito supersedemus, ad ipsam quæ Juris Cultori semper magis cordi esse debet, pragmatologiam tendentes. Definitionem Thematis nostri, si quis desideret, hanc suppeditamus. Inhibitio seu Præceptum Judiciale de non solvendo vel dimittendo est jussus Judicis, quo prohibetur, quivis aliquid ex bonis debitoris detinens id ipsum extradere, donec ejus facta

fuerit revocatio, à Creditore in sui securitatem impetratus. Dum autem primo iussum judicis tale præceptum dicimus, causam ejus principalem hoc ipso significamus, illud simul distinguentes ab inhibitione propria authoritate facta, vel ob conventionem, vel necessitatem, quando nimurum periculum in mora est, cujus gratia multa singularia in jure recepta sunt, & per Judicem admitti solent *I. s. II ff. de O. N. N.*

## TH. II.

Possit quidem mirum alicui videri, quod asseramus etiam propria nonnunquam autoritate fieri posse, & quidem efficaciter, ejusmodi inhibitionem; sed mirari desinet, si duplēcē illam, cuius simul mentionem fecimus, rationem, unde ejusmodi privata autoritate facta inhibitione robur suum nancescitur, consideraverit. Si enim pactum fieri potest, quod ipsam arrestandi ex propria autoritate licentiam tribuit (quantumvis impropriam arresti speciem id esse facile concedi potest,) *Mervius de Arrestis C. V.* cum favori alias pro se introducendo quilibet renunciare possit; imo & citra talem conventionem, si debitor fugitus sit, & Judicis copia illico haberi nequeat, eundem à privato etiam capi & detineri posse, donec Judicis sistatur, *arg. I. 10. §. 16. si debitorem ff. de his, que in fraud. Cred. I. 54. C. de Dector.* ne dum acceditur Judex, elabatur debitor: Multo magis istiusmodi in casibus locus erit inhibitioni privatæ autoritatis, utpote quæ arrestatione mitius quid est.

## TH. III.

## TH. III.

Quamvis enim inveniantur DD. qui ejusmodi  
 privatas inhibitiones, quando nimisrum creditor sui  
 debitoris debitori denunciat, eidem ne solvat, inanes  
 & omni vi obligandi destitutas existiment, cum alter  
 in alterum nihil potestatis habeat, *Bart. in l. non solum*  
*§. morte num. 35. ff. de O. N. N. Caſtrenſ. in l. si fundum*  
*C. de Rei vindic. per text. in l. Papinianus ff. de Publ.*  
*in rem Act. l. utrum ff. de constit. pec. alii tamen haud*  
*infimi subsellii JCti merito statuunt, ejusmodi de-*  
*nunciationes si ex justa cauſa fiant, non inanes aut*  
*otiosas esse, sed tertium debitorem ad solutionem*  
*differendam, & iudiciale arbitrium expectandum*  
*teneri, ni in doli & conſequenter periculo eſſe velit,*  
*arg. c. l. non solum ff. de O. N. N. l. quedam §. nihil ff. de*  
*edendo. l. ut Praetor §. si quis particeps ff. quæ in fraud.*  
*cred. l. 21. ff. ad Sctum Treb. c. l. si fundum C. de rei vind. l.*  
*l. §. sed et si ff. quod vi aut clam. quod æquitatis ratio*  
*vel maxime etiam exigit, ponamus enim casum,*  
*Cajum forte fortuna offendere debitorem su-*  
*um Mevium apud Titium, & hunc quidem illi pe-*  
*cuniā numerare parantem, Cajus certe non ali-*  
*ter poterit, quam privata auctoritate denunciare*  
*Titio, ut pecuniæ solutionem tantisper differat, cum*  
*si iudiciale desuper inhibitionem impetrare vel-*  
*let, Mevius interim omnem ablaturus effet pecuni-*  
*am; jam si hoc in caſu Titius insuper haric prohibi-*  
*tionem habere veller, Cajo nullum plane suppene-*  
*ret remedium, ad securitatem crediti sui perveni-*  
*endi,*

endi, obligatus igitur erit Titius ad huic etiam privata solum autoritate factæ inhibitioni tantisper parendum, donec judiciali confirmetur, cum hoc in casu absque præjudicio Titius securitati Caji consulere poscit, ex ipsis autem juris naturalis ratione, creditoribus contra debitorum suorum malitiam quocunque modo succurrentum sit. Sed de ejusmodi extrajudiciali inhibitione, ut jam significavimus, impræsentiarum acturi non sumus.

## TH. IV.

Porro verborum: *qui vis ex bonis debitoris aliquid detinens*, generalitate indigitatum volumus ejusmodi inhibitionis vel præcepti *subjectum cui*, non solum esse debitorem debitoris illius, cuius causa inhibitio à Creditore impetrata fuit, sed etiam Depositarium, Comodatarium, imo & malæ fidei possesforem; objectum autem non solum debitum, sed & depositum, commodatum, vel quocunque modo possessum. Quamvis enim hoc expeditissimi sit juris, rerum apud debitorem depositarum, vel eidem commodatarum nec arrestationem, nec inhibitionem fieri posse, cum alias sint; nihil tamen omnino obstat, quo minus debitoris alicujus depositum vel commodatum apud tertium, qui adeo illius depositarius vel commodatarius est, prohibitioni tali subjici poscit.

## TH. V.

Atque ex harum rerum, quorum extraditionem Judex facta imploratione interdicere potest, censu

censu , ne quidem oppignoratae penitus exemptae sunt . Quamvis enim jus pignoris tertio auferri nullo modo possit , si tamen pignoris pretium exce- dat debitum , ratione hujus excessus saltem , & alteri Creditori per judicialem inhibitionem securitas præ- stari solet . E. gr. Sempronius pignus habet à Ti- tio 150. imperialium , Titius autem non nisi 100. im- periales Sempronio debet , Cagus cuius itidem Ti- tius est debitor ratione 50. imperialium , dum me- tuit fugam Titii , nec ullius pignoris solatium habet , accedit Judicem , eundemque rogit , ut Sempronio interdicat extraditionem pignoris , utut ipsi à Ti- tio ratione crediti sui satisfa&ctum fuerit , hoc in casu , licet Sempronius Titio fors&aacute;n favens , contra ejus- modi inhibitionem exciperet , rem sibi esse oppi- gnorata , & per consequens alii securitatem præ- stare non posse , nihilominus , salvo tamen Sempro- nii pignoris jure quoad 100. imperiales , Cagus per judiciale hoc præceptum de non dimittendo itidem jus ratione debitorum sibi à Titio 50. imperialium nanciscetur .

## TH. VI.

Tandem in nostra definitione etiam effectum ejusmodi inhibitionis primarium per verba : à Creditore in sui securitatem impetratus , indigitavimus . Quid autem ejusmodi judicialis inhibitio seu præce- ptum de non solvendo vel dimittendo differat ab arresto , apud autores non plane expeditum est . Sunt qui eandem pro specie arresti habere nulli dubitant ,

B

cum

cum Arrestum ob diversos fines impetrari possit ,  
 vid. *Mcv.de Arrest. Cap. 2.* ex quorum sententia æquipollebit arresto reali , & ab arresto in genere sic dicto , differet ut latius & angustius. Si autem ipsam praxin attendamus , videtur ipsum formale arrestum & inhibitio in vim arresti differre ut solenne & minus solenne , siquidem in arresto , quod in Foro Saxon. specialiter introductum , solennium rigorosa observatio requiritur , nimirum in tribus terminis juridicis quaterdenis diebus ab invicem remotis von 14. Tagen zu 14. Tagen facienda renovatio , qua neglecta , arrestum expirat : quamvis Jure Sax. communis renovatio non sit necessaria , vid. Martini ad *Proc. Tit. 51. §. 18. num. 18.* Inhibitionis autem efficacia usque ad factam revocationem perdurat , nec renovatione opus habet vid. *Carpzov. P. I. Const. 29. def. 41. num. 4. seqq. & def. seq.* Illud tamen negari vix poterit , in illis , in quibus eadem appetit ratio , nec specialis differentia occurrit , sæpius arrestum in specie , & inhibitionem in vim arresti , eundem habere effectum ita ut ab illo ad hanc procedat argumentum.

## TH. VIII.

De ejusmodi autem arresto minus soletini primo omnium queritur , an Judex idem absque prævia summaria saltim causæ cognitione decernere queat ? quod affirmandum , ubi periculum est in mortâ , & petitor sufficientem cautionem Judici præstiterit , unde indemnus esse possit , si justam causam arrestans petendi arresti non habuisse postea deprehendatur , id quod ubique fere consuetudine introductum

ductum & receptum esse testatur *Colerus in Processus Execut. P. 1. Cap. 2. num. 116. & 118.* & talis quidem cautio regulariter praestanda est idoneis fidejussoribus vel pignoribus; juratoria enim non facile admittitur, nisi tam honesta & integræ famæ sit persona arrestans, ut judex non possit non præsumere ipsam sine calumnia, & ex mera necessitate arrestum petere. Quod si vero nec debitum per documentum in continent Judici probare, nec ipsius indemnitatē cavere potest, vix ac ne vix quidem petiti sui compos fiet, sed judex ipsam potius ad processum consuetum ablegabit. Cœterum & hac cautela plerumque Judices sibi, desideratam inhibitionem indulgentes, consulere solent, ut arresta periculo partis potentis decernant, & hinc clausula utantur: *in quantum de jure*, quod tum præcipue fit, cum periculum in mora est, ita ut arresti requisita num adfint, nec ne, discutere haud possint, sed cognitionem differre cogantur. Ita tamen, ut probatio debiti mox sequi debeat.

## TH. VIII.

Utrum autem necessarium sit ad impetrandum arrestum vel inhibitionem, ut Creditor suum creditum per exhibitionem originalis obligationis deceat, an vero sufficiens sit, si illud ab initio per copiam saltem liquidum faciat? quæri meretur. Si Jus Saxonicum & in specie decretum *Christiani II. El. Sax. de dato Dresde 11. Aprilis 1607. §. Als sollen hinführro allezeit ic. respiciamus, expresse & quidem*

dem quoad arrestum strictè dictum dispositum invenimus, productionem originalium necessariam esse; nihilominus contrarium in praxi observatur, ita ut Jcti Lipsienses Aô 1621. respondere in hunc modum non dubitarint: Ob wohl die Formalia arresti dannenhero streitig gemacht werden wollen/ daß ihr den 10. Martii nur Abschrift der Bernsteinischen Beschreibung beygelegt/ das Original aber allererst den 24. gedachten Monats bey der andern Renovation produciret. Dennoch aber und die weil ihr unverbunden gewesen/ bey erster Anlegung mehr erwehnten Arrests die Bernsteinische Haupt-Beschreibung in originali vorzulegen/ sondern eine Forderung auch auf andere Maße / und zwar ohne sonderbare Zierrlichkeit beschleunigen mögen; So ist auch obangeregter Arrest, eures Gegen-theils Widerfechtung ohneachtet in seinen Formalien beständig/ scilicet Berk. Decis. aur. 107. P. 1. quam praxin confirmare videtur Ordin. Torgens. Tit. von Arrest, wie derselbe zu verfatten / ubi expressio alternativa habetur, quod nimurum creditor arrestum efflagitans, creditum suum per documenta originalia, vel alium modum, durch Urkunden oder andern glaublichen Schein liquidare & verificare debeat. Dictionis autem alternativæ in hoc & simili casu ea vis est, ut actori electio relinquat intelligatur, *i.e.* non utique §. proinde mixta. verb. facit actoris electionem. *ff.* de eo, quod certo loco. Accedit, quod ejusmodi liquidatio crediti solummodo

do ad informationem judicis requiratur, ut cognoscatur inde, an justa arrestandi causa adsit nec ne; *Novell. El. Augusti, Part. i Const. 29. vers. dicitur* *man*  
*daraus eigentlich zu finden habe / Matth. Coler. de*  
*Proc. Execut. P. I. c. 2. n. 207. vers. judex inquam.* <sup>3</sup>  
*seqv.* talis autem informatio non minus ex copia,  
 quam ex ipso originali obligationis haberi possit.  
*vid. Carpz. P. I. Const. 29. def. 6.* Præterea cum in  
 arresto Saxonico nudæ Creditoris petitioni, absque  
 omni causæ cognitione, simpliciter super precibus  
 superiori pro obtinendo arresto insinuatis quandoque  
 deferatur; multo magis sufficiens erit à Creditorre  
 per productam copiam instrumenti obligationis  
 facta liquidatio, vel alia summaria ostensio; semper  
 enim præstat probatio ulla quam nulla. Et cum hac  
 in re eadem inhibitionis in vim Arresti sit ratiō,  
 sine dubio idem quoad illam probandam statuerit.

## TH. IX.

Porro non solum proprio nomine quis apud  
 Judicem ejusmodi inhibitorem seu arrestum minus  
 solenne petere potest, sed & in alieno. Quis enim  
 dubitet eos e. gr. quibus à Lege vel à Magistratu,  
 vel aliunde defertur Administratio bonorum alterius,  
 qui vel propter ætatem, vel absentiam, vel aliud  
 demum impedimentum eadem administrare atque  
 defendere non potest, quales sunt Tutores, Curatores,  
 Procuratores &c. quiratione Administrationis  
 Dominorum loco habentur, l. 56. §. 4. ff. de Furt. l. 7. §. 3.

B 3

ff. pro

*ff. pro emt.* quoties expedit pro iis, quorum jura tuerentur, ejusmodi inhibitiones à Judice petere posse. Quoad Procuratores tamen controversia apud DD. exoritur, an ad impetrandum tale arrestum opus ipsius sit mandato speciali, an vero generale sufficiat, quo libera facultas agendi sit concessa? Negativa hujus nobis probabilius videtur, cum causa executiva speciale requirat mandatum, *Jason in l invitum num. 5.* hac nihilominus subintellecta limitatione: Nisi generale illud mandatum ita sit conceptum, ut si non ex verbis expressis, saltem ex mente mandantis simul speciale ejusmodi mandatum colligi possit, præsertim aliis adhuc accendentibus adminiculis, veluti si mandato cum libera haec vel æquipollens alia inserta sit clausula: *Ut Procurator omnia expedire valeat, quæ ipse constituens in facto vel jure facere posset;* vel si traditum sit Procuratori instrumentum obligationis, in quo arresti potestas Creditori à Debitorum facta, datumque præterea generale mandatum ad consequendum creditum quovis modo licito atque possibili. Cujusmodi casus etiam potissimum respiciunt ii, qui generale mandatum ad consequendum arrestum sufficiens putant. In Foro autem Saxon. præcipue Electorali, præcisè requiritur mandatum speciale; *Carpzov. P. 1. Const. 29. def. 14.* ubi excipit personas conjunctas quodcum cautione derato sint admittendæ.

## TH. X.

*Quid verò consilii capiendum erit, si debitoris debi-*

debitor, vel depositarius, commodatarius &c. neget debitum, vel depositum vel commodatum? Videtur Creditor, qui petit inhibitionem, onus probandi tum declinare non posse, quo in casu miram *Faber in C. lib. 4. t. 9. defn. 2.* foveat sententiam, dum distinctione facta, inter Creditorem chirographarium & pignoratitium huic saltem ob pignus sive generale sive speciale jus fore putat probandi, debitori suo ab alio deberi, illius autem probationem non admittendam, quam marito rejicit *Mevius de Arrest. Cap. 9. num. 40.* Si vero Creditor legitimis probandi mediis destituatur, Judex, si validæ saltim pro Creditore præsumtiones militent, Juramenti Religione obstringere poterit præsumptum debitoris debitorem, depositarium, commodatarium &c ad veritatem dicendam, aut si id quidem consultum non putet, nihilominus inhibitionem decernere poterit, utpote quæ alteri nullatenus præjudicat, sive debeat, sive non debeat, & interim prodeesse potest ad securitatem Creditori, caverique ne in ejus perniciem debitor cum debitoris debitore colludere queat, quod haud ferendum est, *I. r. C. de Pign. l. 15. C. ad L. Corn. de Fals. l. 9. ff. liberal. causi* enim Creditori postmodum compertum fuerit, illum debitoris debitorem, vel depositarium vel commodatarium, debitum vel depositum vel commodatum malitiose dissimulasse idem ipsi ad interes̄e non solum, sed & omnes sumitus restituendos tenebitur, quidquod & à Judice ejus in mentiendo impudentia  
pœna

pœna arbitraria coerceri poterit, *Peck. Tr. de Jur. sif.*  
*e.i. n. ii. in fin.*

## TH. XI.

Antequam autem Judex inhibitionem decernat, solicite ipsi inter alia etiam ad id respiciendum est, num dies debiti, propter quod Creditor inhibinem petit, cesserit nec ne, vel ejus conditio ad impleta sit? si enim dies nondum cesserit, aut conditio nondum purificata fuerit, utut debitum illud vi pati, statuti aut consuetudinis privilegio paratae executionis gaudeat, petito Creditoris deferre non poterit, *arg. l. 10. ff. de verb. obl. Coler. de Proc. Exec. P. 2. c. 3. num. 109.* cum intempestive & per anticipacionem debitorem conveniens exceptione: *Tu petis ante diem, repellatur, l. cedere ff. de V. S. l. un. C. ut ab. ab hæred. l. quod in diem ff. de Compens.* Nihilominus tamen hic etiam nonnulli excipiendi veniunt casus, in quibus ob debita quoque in diem vel conditionata inhibitio in vim arresti à Judice decerni potest; veluti si debitor forte bonis labatur, ita ut periculum sit in mora, vel subsit metus fugæ aut dilapidationis, unde justa censetur causa detinendi bona ipsius, *Bartol. in l. si debitori. num. 8. ff. de Judic.* non quidem ut fiat adjudicatio, quæ nunquam ante existentem diem vel conditionem fieri potest, *Bald. Consil. 135. L. II.* sed ut idonee caveat de solvendo aut præstando cum advenerit dies aut conditio impleta fuerit, *arg. l. 1. ff. de Judic. l. que sit ff. de Pignor. l. 2. & 3. ff. de Condit. causa dat.* unde alter

ter id consequitur, ut si prior sit tempore in hypotheca sibi constituta, aut aliter privilegiatus, ipse posteriorem Creditorem, utut hujus dies jam venerebit, tunc excludat, Suarez ad l. post rem judicatam ff. de exc. rei judicatae.

## TH. XII.

Effectus tandem ejusmodi inhibitionis seu arresti minus soleannis varius est, & primarium quidem jam superius in ipsa definitione indicavimus. securitas nimirum Creditoris in cuius gratiam inhibito facta est. Inducitur enim exinde suo modo pignus prætorium in re arrestata, Peck: d. tr. C. 35. n. 4. ut proinde arrestum missioni in possessionem simile & in plurimis convenire pronunciet, Gail. de Arrest. Imp. c. 12. n. 8. qua quidem de re Jure Saxonico quoad arrestum in specie dictum nullum est dubium, ut pote ex cuius dispositione illud statim à tempore primæ impositionis jus tacitæ hypothecæ tribuit, Constat. Nov. Aug. 29. P. 1. Wesenb. in paratil. ff. tit. de privil. cred. ideoque haud secus atque in aliis hypothecis, qui prior est tempore, potior est jure, ita etiam tale arrestum Saxonicum eam prælationem conferre censetur, ut primus arrestans omnibus creditoribus, dummodo anteriori hypotheca expressa vel tacita muniti non sint, præferatur, Coler. de Proc. Exec. P. III. c. 11. n. 40. Sed Jure Lubecensi aliud obtinet, secundum hujus enim tenorem arrestum jus reale non tribuit, sed saltē vim habet prorogandæ & assecurandæ juris.

C

jurisdictionis, ne nimirum judicium fuga declinari queat, ej. art. 5. tit. 12. L. V.

## TH. XIII.

Alius effectus ejusmodi arresti est, quod tertium apud quem res arrestata existit, obliget tum ad non reddendum ei, cui alias restituere tenebatur, contra cuius petitionem exceptione arresti securus est, ex necessitate obsequii Judici debiti; tum ad custodiam; hinc nonnunquam inhibitioni à Judice additur comminatio, daß wenn Er dieselbige würde abfolgen lassen / Er gehalten seyn solle / entweder selbige wieder zu schaffen / oder davor zu bezahlen. (addita quandoque etiam coominatione pœnæ dupli) Ad id ipsum autem non tantum obligatur, cum schedula arrestationis ipsi exhibita, sed & cum oretenus solummodo inhibitio per apparitorem judicij facta fuit, utpote cui credere & parere tenetur, *Peck. d. tr. Cap. 25. num 6.* præsumtio enim pro ipso militat, quod non sine commissione arrestum indicat. Nec tertius ille se tueri poterit exceptione, si bi incognitum fuisse, num revera apparitor fuerit inhibitionem nuncians, nec ne; quippe sufficit illum publice pro tali se gesisse, & de veritate rei facile debitori constare potuisse, si Judicem accersisset, & super eo interrogasset. Si autem maluit non credere, quam inquirere, sibi imputet, si incredulitatis suæ pœnas luit. Ejusmodi apparitoris autem relationi de indicto arresto creditur, si sit ratione officii sui juratus, adeo, ut nec juramentum contrarium

trarium afferentis, nisi alia ad sint indicia, locum habeat. Qui enim falso illum retulisse ait, probare tenetur.

## TH. XIV.

Indubitati ceteroquin juris est, debitorem illum vel depositarium, vel commodatarium, si inhibitioni à Judice factæ non pareat, sed eadem insuper habita vel debitum solvat, vel depositum commodatum nivē reddat, Creditori illius, cui solvit vel reddidit, ad omne id teneri, quod interest, non solutum debitum dimissumve depositum vel commodatum illud fuisse. Non tamen ulterius tenetur quam ad bonam fidem, &c, vel ad culpam latam, aut ad levem præstandam pro natura subiectæ materiæ, vid. *Lauterb. Comp. ad Tit. ff. commod. verb. custodie.* Si enim nec dolose arrestantis Creditoris debitori rem tradiderit aut debitum solverit, nec quicquam omiserit, quod ad diligentem custodiam requiri potest, officio suo satisfecit.

## TH. XV.

Antequam ad illum effectum inhibitionis, quem nonnulli huic ratione sistendi cursus usurarum adscribunt, cujusque specialem disquisitionem promisimus, deveniamus, de duobus adhuc casibus dispicere operæ pretium erit. An nimirum talis inhibitio vel arrestum locum & effectum habeat, si debitoris ille debitor in chirographo expresse se obligaverit ad solvendum debitum nullo attento arresto, ohngehindert aller Herrn Geboth und Ver-

C 2 both.

both. In tali casu *Heringius* quidem intr. de *Fidejuss.*  
*Cap. 19. num. 68.* putat, vincetas esse judici manus, ita ut solutionem in alterius cujusdam securitatem prohibere nequeat; sed praeter rationem, unde etiam merito hanc sententiam rejicit, *Mev. de Arrest.*  
*Cap. IX. num. 47.* Haud enim privati est tantum privilegium credito suo tribuere, ut ab omnibus arrestis immune sit, sed Principis demum vel superioris Magistratus autoritate, & quidem singularem plane ob causam, quæ forsitan utilitatem Reipublicæ respicit, fieri potest, cuius rei exemplum habemus in *Banco*, ceu vulgo vocatur, *Venetorum*, *Amstelodamensium* &c. ubi credita pecunia tanta gaudet securitate, ut omne arrestum recusetur; unde etiam fieri assolet, ut Summorum Principum Ministri, qui sibi per nefas ab eorum subditis divitias quæsiverunt, ingentes pecuniae summas eo remittant, ne ullo modo ipsis, infidelitate forsitan detecta, auferri possit. Eodem Privilegio etiam prospectum fuit sortibus institutæ nuper sub fide & autoritate Statuum Provincialium Electoratus Saxonici Sortitionis, der von denen getreuen Ständen des Churfürsten-thuins Sachsen auf des gesamten Landes Credit übernommenen Lotterie, siquidem in publicata desuper schedula expressis verbis habetur 10. Sehnd die in dieser Lotterie eingelegte und darinnen gewonnene Gelder durchgehends und zu aller Zeit von allen Arresten/ Abgaben und Auflagen / wie dieselbe nur eracht werden dürfen / gänzlich befreyet/und können nie-

niemahls unter einigen Prætext darzu gezogen werden / &c. alioquin autem iniquum foret cuilibet privato tale jus creditum suum privilegiandi indulgere, siquidem manifeste hoc ipsum in fraudem Creditorum vergeret.

## TH. XVI.

Alterum dubium circa hunc exoritur casum, si debitoris Creditor rem illam sibi oppignoratam habeat, quæ arresto afficitur, de suo autem pignoris jure taceat, lite vero finita & re arrestanti adjudicata obtentu pignoris eandem tradere recuset; & hinc queratur, utrum in executione intervenire & restitutionem denegare possit, nec ne? Juri consentanea hic videtur haec esse sententia: decuisse quidem illum de suo jure arrestantem vel judicem monere, haud vero, quod id facere omiserit, idcirco jure, quod in re habuit excidere, cum non adfuerit necessitas denunciandi vel interveniendi ei, qui sciebat pignus sibi durare, l. 8 §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. & forte existimare potuerit, alterum Creditorem non id agere, ut se a pignore dimoveat, utpote quod ipsi integrum non esset, sed solummodo, ut eo, quod in pignore superfluum esset, fruatur, & eo fine arrestum petiisse. Quod si tamen in fraudem alterius Creditoris de jure suo filuisset, tunc non inqua erit adversus ipsum actio & condemnatio ad interesse; minimum ad restitutionem expensarum litis, quam significatione juris sui impedire poterat, tenebitur: Quemadmodum

C 3

enim

enim innocentis pœna non est irroganda , ita nec in alitiis indulgendum , l. 38 ff. de rei vind. Quod si vero quis saltim jus retentionis habeat , idque facta propter alium inhibitione , reticeat , ille , cum arrestum sine ulla mentione juris sui aut facta protestatione receperit , facta postea executione in præjudicium alterius eadem uti non est permittendus ; tum quod acceptatione arresti ad alterius instantiam decreti , retentionis juri renunciare , & consequenter illud amittere intelligitur , l. 6. C de remiss. pign. tum quia sciens alium agere , & mature intervenire cessans , postea ad impediendam executionem non admittitur , Bart. l. s̄. p. ff. de re judic. Consultissimum tamen est , ut Creditor arrestum impetrans statim sub initium rei possessores vel citari curet , ut coram Judice , si quoddam jus in eadem habeant , exponant , aut saltem privatim eos desuper interroget.

## TH. XVII.

Tandem igitur etiam ad palmariam illam questionem accedo : An inhibitio talis , seu præceptum de non solvendo cursum usurarum sistat ? Cujus affirmativam defendere satagunt nonnulli DD. primi subsellii , quos inter est *Berlichius* , *Carpzovius* atque *Richterius* , & quidem subsequentibus rationibus : Primo nimirum , inquiunt , Debitori , dum jussui atque præcepto Judicis obtemperare opus habet , l. 199. & 167. §. 1 ff. de R. J. l. 81. ff. de Solution. l. 7. §. 2. ff. de minor. nulla vel culpa vel mora imputari potest ,

f

si tali præcepto de non solvendo debito paruerit,  
 l. 169. ff. de R. J. unde conseclarium est , quod nec  
 interesse usuræve ab eo exigi possint , quippe quæ  
 citra moram non debentur , l. 17. §. si pupillo. l. 32. §.  
 in bona fidei ff. de usuris l. 87. ff. de legat. 2. maxime  
 cum & alias præceptum judicis ab interesse vel pœ-  
 na excuset. Card. Tusch. Tom. 6. verb. præceptum.  
 concl. 480. num. 10. 2) accessorium semper sequitur  
 naturam sui principalis , & utriusque eadem est ra-  
 tio , idem jus l. 129. §. 1. l. 178 ff. de R. J. l. 3. §. 6. ff. de  
 negot. gest. sors autem est loco rei principalis,& usu-  
 ræ sunt accessorium , si igitur illius cessat solutio , &  
 hujus cessabit. 3) Quoniam non debet , cui plus li-  
 et , quod minus est non licere , l. 21. una cum l. 26. ff.  
 de R. J. l. 22 §. 3. ff. ad L. Jul. de adulter. 4) Quia Credi-  
 tor cui inhibitio facta est , pecunia , quam ad solutio-  
 nem paratam habere debet , uti frui non potest , si  
 quidem omnibus momentis expectanda est relaxa-  
 tio arresti , quæ ipsum ad solvendum impromptum  
 offendere non debet. Hinc etiam præjudicio hæc  
 ipsa sententia affirmativa confirmatur tam apud  
 Carpz. P. II. Const. XXX. def. 24 de Aô. 1630. cuius verba  
 sunt: Ob nun wohl nebst dem Capital auch das voll-  
 ständige Interesse angegeben und gefordert worden /  
 dieweil aber dennoch dem Schuldner allbereit Aô.  
 1619. im Aprill Verboth geschen / weder an Capital  
 noch Zinsen etwas auszuzahlen / deroivegen Ex-  
 solches Geld wider seinen Willen / wie gern Er auch  
 sonst die Auszahlung gethan / bey sich behalten  
 müssten/

müssen / so mag beniemter Debitor von Anno 1619.  
 da das Verboth der Auszahlung geschehen / von  
 dem Capital einigen Zins zu geben/ nicht angehalten  
 werden. Quam à Berlichio de Anno 1617. P.I. Decis. 25.  
 quod ita se habet: Ob nun wohl ihr euch in der Ver-  
 schreibung 6. vom hundert verpflichtet / auch des-  
 wegen Euer Haus mit des Amts Consens zum Un-  
 terpfand verschrieben: Dieweil aber dennoch Euch  
 von dem Schöffer zu S. Eurem Creditori die 300.  
 Gulden auszuzahlen bey Straße verbothen wor-  
 den / so seyd ihe von Zeit solches angelegten Verbots  
 keine Zinse zu geben/verbunden/ V.R.W.

## TH. XIIIX.

Universæ tamen hæ rationes rem non confice-  
 re videntur, sed haud difficulter redarguuntur, & ab  
 aliis refutantur, v. Finckelth. Obs. 19. quod i. enim attinet  
 facile quidem conceditur, præcepto Judicis paren-  
 dum, nec adeò debitorem in culpa moræ versari; sed  
 qui inde sequatur etiam à solutione usuraruim si non  
 præsenti , saltem futura eundem liberari, nullatenus  
 apparet , & præterea etiam præceptum Judicis, uti  
 supponimus , nullam fistendi cursus usurarum facit  
 mentionem, ut adeò nullam hoc in passu inducat  
 mutationem ; non potest non igitur debitor, ut ante,  
 ita & porro usuras debere , cum mandatum ju-  
 dicis stricte sit accipendum , arg. l. 4. §. 3. l. 6 §. 1. f. de  
 rej. l. 3. Cod. de fruct. & lit. expens. & consequen-  
 ter à sorte ad usuras non extendendum. Tandem  
 quod præcipuum est , allegatæ L.L. queis probare  
 nituntur

nituntur citra moram usuras non deberi, in quo omnis primi argumenti nervus consistit, id plane non evincunt, cum saltim id loquantur, propter moram usuras deberi, minime vero solum propter moras, unius autem positio non est alterius exclusio. Ad II. respondetur limitando: accessorium nimirum sequi naturam sui principalis, nisi utriusque sit diversa ratio, *Rauchb. p. 1. q. 7. n. 31.* diversitatis autem ratio hic appareat manifeste: Judex enim solutionem sortis ob præstandam alteri cuidam Creditori securitatem prohibet, quod certe nihil plane ad usuras spectat, siquidem earundem ulterior cursus illam securitatem ne tantillum quidem impedit. Nisi etiam hoc brocardium cum grano salis accipiatur, haud pauca absurdia inde secutura forent, e. g. cum de sorte solvantur usuræ, etiam usurarum usuras solvendas esse, quas jura prohibent; Item si sors in certa pecuniae specie e. g. aureis solvenda esset, etiam necessario usuras in tali specie deberi, cum tamen liberum sit debitori quam speciem in usurarum solutione eligere velit, nisi aliud conventum.

## TH. XIX.

Ex tertio axiome juris, quod illi, cui id licet, quod plus est, debeat etiam id licere, quod minus est, nihil itidem pro adstruenda superioris quæstionis affirmativa concludi potest. Negatur enim primo majus quid esse respectu Creditoris illum sortem nunc non solvere, quam ab usuris liberari,

D

siqui-

siquidem nullum plane ex eo commodum sentit, dum alio tamen tempore sors una cum usuris solvenda ipsi est, nimirum relaxato arresto, non igitur hic fortis & usuræ solutio, ut majus quid & minus considerari potest. Deinde & hæc regula restrictionem admittit, dum fere tantum de factis, & quidem licitis, ac sibi invicem subordinatis, *arg. l. 26. ff. de R. I.* intelligenda est, non autem de rebus inter se diversis, quales h̄ic esse deprehenduntur sors & usuræ fortis ex obligatione debitæ. In sorte enim respectu ad debitorem habitu duo considerantur, ejus nimirum usus, & futura solutio, ex natura mutui. Jam quia jussus Judicis in nostro casu duntaxat fortis non præstandam solutionem concernit, non vero ad impediendum usum dirigitur, utpote quem ne verbulo quidem prohibet; haud sane absque Creditoris injuria ad hujus etiam prohibitionem exten-ditur. Quarta ratio in concessa nititur præsuppo-sito, quasi teneatur à tempore factæ inhibitionis in singula momenta paratam ad solutionem habere pe-cuniam, quod certe haud necessum est, siquidem non magis ac antea impetratum arrestum debitor ille ad tam præcisam solutionem obligatus est.

## TH. XX.

Omnem hanc controversiam accurate & authen-tice dirimit *Nova Decisio Electoralis Saxonica XVII.* quæ sententiam nostram sufficienter confirmat hisce verbis: *Wenn ein Præceptum de non solvendo erge-het/*

het/stehet dem Schuldener frey/sich à cursu usurarum  
vergestalt zu liberiren/ daß Er entweder die Gelder  
Gerichtlichen deponiren/ oder in Judicio offeriren  
und Gerichtlich versiegeln lasse/sodann wiederumb in  
seine Gewahrsam nehmen soll/wodurch wir doch die  
depositionem privatam nicht eingeschryft / sondern  
allein die Bescheinigung des nicht genügten Geldes  
dadurch desto eher zu befördern / dieses verordnet  
haben wollen. Würde nun der Schuldener keines  
von denen jetzt angezogenen Mitteln ergreissen / kan  
Er von Zinsen nicht befreyet seyn / Er wolte denn  
wie recht erweisen / oder eydlichen erhalten/ daß Er  
die Gelder nicht genuzet hätte / damit würde Er bil-  
lich zu gelassen.

## TH. XXI.


Probe autem dispiciendum est de quoniam ca-  
su loquatur hæc decisio ; ne ex parte asserto no-  
stro contraria videatur, atque ex principio ejusdem  
apparebit , de tali eandem principaliter intelligen-  
dam esse , quo debitor pretium emtionis vel aliam  
eiusmodi pecuniam quam sine usu detinet, quamve  
sine mora soluturus fuisset, in judiciale præceptum  
ipsum prohibuisset. In antecedentibus autem præ-  
suppositus à nobis præprimis fuit casus mutuo datae,  
vel saltim mutuo in manibus alicujus relictæ pecu-  
niæ sub conditione solvendarum consuetarum usu-  
rarum : ubi secundum expressam decisionis hujus  
dispositionem usuræ non cessarent , dum pecuniæ u-  
sus non cessat. Hic enim omne usurarum fundamen-  
tum

QK 7e 848

§ 28 (5)

tum est, ut exinde etiam debitor , simulac docere  
vel jurato asserere possit , eundem cessasse , illico  
etiam à præstatione usurarum liber h̄c declaretur ,  
quod æquitati omnino consentaneum est , æque ac  
illud , ut ad usuras teneatur , simulac confiterit , pe-  
cuniam apud ipsum non otiosam fuisse . Atque  
*Carpzovius Def. 24. C. 30. P. II.* unde patet dissensum  
DD. ut alias ita & h̄c potissimum in diversita-  
te casuum , quos præsupponunt , radicari ,  
quibus probe distinctis dissensus  
cessat

## F I N I S.



X2379923

m.6

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Mr. 184. III. 53  
Mr. 184. DISSESSATIO INAUGURALIS JURIDIC  
DE

36  
**P R A E C E P T O**  
**J U D I C I A L I**  
**DE NON SOLVENDO IN GENERE,**  
**ET IN SPECIE,**

AN ILLUD CURSUM USURARUM SISTAT:

secundum Tenorem Nov. Decis. Electoral. 27.

QVAM

RECTORE HUJUS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,**

SACRAE CÆSAREÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICAÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarum MONGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MONGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE;

**P R E S I D E**

**DN. ERNESTO TENZELL, JCto,**  
FACULT. JURID. P.T. DECANO, JUDICI PROVINC. ASSESSORE AC CIVITATIS ERFURT. STNDICO PRIMARIO, ETC.

**DN. PATRONO AC PROMOTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO,**

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA

RITE ADIPISCENDI,

D. XXII. AUG. MDCCXIII. H. L. Q. C.  
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI

SUBMITIT

**JOHANN. GOTTFRIED ZEUNIG, OSSIT. MISNIC.**

ADVOCATUS LIPSIENSIS IMMATICULATUS.

—  
ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

